

Erat potro quisquis minoris putat Leonem Magnum; vel cogit probare quod Cardinales, vel peritos ad consultationem adficerit. Sin minus sibi soli assentatur, & sua tantum verbis commentat. (1) Hæc totidem repetita laus Epistolæ dogmaticæ S. Leonis undequaque infallibilitatem auctoris sui spirantis erudito viro displicet, ac nauseam movet. Nec mirum, quia ad vomitum redire compellitur. Præteriens enim producta testimonia ex Epistolis S. Leonis convolat ad arceffendam infallibilitatem Epistolæ dogmaticæ ad Flavianum a posteriori examine, approbatione, & consensu Concilii Chalcedonenfis, juxta placitum oforum Pontificiæ indeficientiæ, de qua fufe actum est in libr. de privil. Rom. Pont. Siquæ traducens illam de fovea in foveam, nunc ad consensum prævium revocat, nunc ad consensum posteriorem ablegat, prægrandi inconstantia diris omnibus devovenda.

§. XXXI.

De eodem argumento.

Sint amplissimi Cardinales orbis iudices, juxta elogium Divi Bernardi; sed accipiat eruditus Auctor, ejusdem ibi insertum monitum Eugenio datum: (2) *Tibi (Eugeni) impura quidquid patieris ab eo, qui sine te potest facere nihil.* Sint conjudices terræ juxta encomium Pii II. Utroque pollice subscribo. Apostoli quoque iudices, & conjudices Christi in die extremo sedebunt judicari duodecim tribus Israel, quin judicio æterni iudicis se implicaturos agnoscant; nisi per iudicium approbationis, juxta Divi Thomæ Commentarium; quod idem sapit, (3) ac esse iudicium obedientiæ, proprium inferioris, cui non liceat dissentire, vel refragari. Sunt autem Cardinales amplissimi iudices ad ferenda iudicia in Curia pro mansuetis terræ, ut loquitur Divus Bernardus: *Nec iusti veniunt* (inquit) *neque non iusti assentent;* Reservato semper soli Pontifici iudicio finali de rebus Fidei, & morum, & salvo arbitrio illos adhibendi.

Me latet, fateor, quid in hac disceptatione sibi præstituerit adversarius. Expofcit necessario absolute consilium prævium ad Papæ definitionem de Fide. Sed a quibus petendum sit, adhuc ipse ignorat. Hic omnino, ex consilii natio muneris, vult amplissimos Cardinales esse adhibendos. Mox Silvestro coheret, satis esse, si fuerint Galerati, vel non Galerati. Cum (4) Driedone (repugnante Cano, cui iactat inherere) permittit examen de adhibita, vel non adhibita diligentia in iudicio discretivo Pontificis. Juxta (5) Cuperium advocat de iure divino Cardinalium consultationem: Sed cum (6) Turcremata implicat doctos Patres, & florentissimum Clerum. Ex (7) Duvalio viros utcumque peritos approbat, & est contentus. Ad placitum Gravinae se conformans Juristas, Theologos, florentissimum Clerum, vel Congregationem S. Officii vult cogi; sed cum (8) Alphonso de Castro sibi suadet, satis esse aliquos Cardinales, aliosque doctrina præstantes. (9) Lupo accedit coacervando ad consilium quotquot in publico Ecclesiæ Conventu assident, & administrationi Ecclesiæ cooperantur. Verum statim cum (10) Cherubino Romano omnes etiam natu Majores totius Ecclesiæ per orbem diffuse declarat a Pontifice pro consilio esse adhibendos. Et hic videtur conquiescere, exclamans: *Quid a-*

liud, per fidem novum? dici ego? Tandem præcedentibus diâs posthabitis concludit, Magistrum (11) Cano perpetuo inhæsisse, & adhuc inhære. Sit laus Deo, quod accepta veritate, cætera ad eruditionem tantum prolata sapienter oblirentur.

Sed pergit vir eruditus (12) ad poscendam tot consulentium multitudinem prævie ad Pontificiam definitionem Fidei, ut rite, canonice, authentice, solemniter, & ex Cathedra, seu ex Tribunali Pontificio iudicium ferant (Pontifices.) Poterat a Bagothio loc. cit. infimul discere, quod solum respicit Forenses causas. Ut ut sit: eorum etiam non postulat, ut omnes subscribant Bullis dogmaticis pro complemento solemnitatis celebrioris? Ita factum est, inquit Auctor, a Petro in disceptatione usus Legatum. Bene. Sed cur, juxta hoc exemplum, non expofcit convocacionem Concilii Generalis, quoties de Fidei rebus conquirendum est? Igitur ineptum ad rem est exemplum allatum, quia convocatio Concilii non erat simpliciter necessaria quemadmodum nunquam probabitur absolute necessaria convocatio peritorum, & allata solemnitas. Idcirco pure, & strictim dixit Petro Christus: *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos.* Nihil addidit Antiquitas, nihil addit citati Theologi de necessitate, exceptis oforibus Pontificiæ infallibilitatis, qui ad arbitrium fingunt Petri Cathedram.

§. XXXII.

De quadam querela Cardinalium.

Argumentum deductum a quodam supplici libello dato Benedicto XIII. P. M. anno 1727. a Cardinalibus num. 24. subfignatis, occasione rumoris diffusi de arduo negotio propediem, illis inconsultis, erupturo, ac finiendo a Papa ad instantiam Magnatis; quod præter rem refricat eruditus (13) Auctor, presentem postulat animadversionem. Locum sibi putabant apud Pontificem querendi, cur in illa negotii arduitate ipsi Cardinales consulti non fuissent, quum *usi Consiliiarii nati Summi Pontificis iure debeant ad consultationem adhiberi, & audiri in gravioribus Sanctæ Sedis negotiis.* Hac verba, hæc summa argumenti. Si quid simile peterent Majores natu universæ Ecclesiæ, quibus ex Cherubino Romano tam magna tribuit Auctor, necio ipse, quid responderet.

Dico fallaciam in argumento cubare. Aliud est querere, quid jure possit Senatus, aliud quid jure possit supremæ Monarchæ. Noverit optime eruditus Auctor posse Senatam jure suo, scilicet ex sua institutione contendere, etiam irrequiritum, suum consilium exhibere, imo ultro inferre, imo ex zelo boni publici, sive veri, sive putativi obaturatas etiam Principis aures, & reluctantes iterum iterumque pulsare. Scit ipse quot exempla (14) Gallicana proferre potest, ubi tamen Monarchicum nomen, eodem Auctore teste, digne extollitur. Identidem noverit, posse quoque Monarcham jure suo utentem inconsultis Consiliiariis vel non attentis consiliis, aut oblati, aut investis, rem rite peragere, atque decernere. Hinc fit; ab illo jure descendere, quod Consiliiarii ex flagranti amore erga suum Principem, & boni publici studio, possint adhuc cum Monarcha iustam querelam, & expostulare vehementer, cur ipsis inauditis ad ulteriora procedat. Verum nemo arclabit Monarcham, quia etiam suo jure utens

utens possit omiffis Consulentibus, eorumque consiliis, atque querelis, iuste iusta perficere. Non negabit Auctor suis edoctus exemplis. Quod dixi de supremo Monarcha, cur inficias ibit in Pontifice Maximo?

Jam superius dedi exemplum de iusta querela Cardinalium apud Eugenium III. Jure id factum assero. Aliud exemplum asserere possum de iusta querimonia cum Pasquali II., & ante, & post datas investituræ Henrico. Sed quid inde? Nunquid omnia ad Aristocratiam trahenda, ut insecta jaceant? Nonne ultro dedi posse Cardinales amplissimos, maxime præ cæteris, corrigere, corripere, obsecrare, atque graviter, si opus est, reprehendere Summum Pontificem, eidemque succedere? Sed quid ad rem nostram, ubi de infallibilitate iudicii agitur, nempe non de retractabili concessione, ut fert exemplum Benedicti XIII. sed de irtractabili definitione Fidei, cui de Fide est, inesse assistentiam Spiritus Sancti falli, & fallere nesciam?

Accipe exemplum aliud Benedicti XIII. cui necesse est conquiescere, utpote ad rem accomodatissimum. Vergente ad postremam sessionem Concilio Romæ in Laterano a Benedicto XIII. coactio, quæritum fuit, quæ forma subscribendi usurpanda foret a Patribus. Quæritio erat, an subscriptio Patrum Actis consignanda fieri debuisset per verba simplicia *N. N. subscripsi*, aut per verba *N. N. consentiens subscripsi*. Zelo decoris, auctoritativeque supremæ Romani Pontificis incensu DD. Cardinales num. 30. tunc Synodo assidentes, & Romæ degentes, sub die 27. Maii 1725. subscripserunt a singulis supplicem libellum Pontifici obtulerunt, in hæc verba: *Non posse sua conscientia in subscriptione Actuum Concilii uti verbo Consentiens, quia evidens in januis est periculum, ne maxima pugna insurgeret adversus supremam Pontificiam auctoritatem, usque ad vultus inferendum Apostolicæ Sedis dignitati. Eo quia id præpostere acceptum iri ab adversariis proclive est, perinde, ac Patres assidentes una cum Papa fuerint Conjudices, atque Collegiatores; vel inde traherent adversarii ut necessarium Consiliiarium, vacuas, sive pendulas evadere Pontificias Constitutiones, nisi per Patrum consensum plenum robur obtinerent.* Urgentius sub die 29. Maii repetito supplici libello apud Benedictum XIII. institit sacrum Cardinalium Collegium, in hæc verba: *Quum Cardinales sacramento se obstrinxerint defendere, etiam fuso sanguine, auctoritatem Summi Pontificis, & alias probe scientes, quanta improbitas temporum, & hominum malitia iustis, ad perdendam, vel imminuendam supremam hanc auctoritatem, continuo inventa, compulsi sunt, pungente conscientia, vultus rogare, ac insistere, ne permittat verbum conscientiens, quod nullatenus ipsi adhibere intendunt, parati tamen, ac prompti ad subscribendum per verbum simplex subscripsi.* Infraacto animo steterunt, & ubi primo cenabant non discedere a consueto modo subscribendi Apostolicis Bullis, nunc flexi fuerunt ad addendum verbum *subscripsi*, ut factum fuit. Non ignorabant amplissimi Cardinales pluries in aliis Conciliis usos fuisse Patres verbo *consentiens*, ut ipsi innuebant. Sed crescente veneni acerbitate opportunum hoc antidotum prævertere, & ut necessarium urgere censuerunt.

Recolat, quæso, eruditus Auctor hujus facti circumstantias, distincteque perpendat, quantum studium Cardinales impendant, ut jura Pontificia inviolata custodiantur. Et dicat, aprime mentis, & cordi eorum altius insidere jura Pontificia, quam propria, neque quidquam majus esse eorum

Seny Tom. V.

animis infixum, quam intendere, præcavere, & docere, Papam esse vivam Regulam Fidei unice connexam cum assistente Spiritu Sancto, a quo juxta pollicita, opportune est dirigendus, & ut consulat peritos, quando opus est, & ut iis inconsultis, quando opus non est, de Fide agat. Certi enim sumus, Spiritum Sanctum non posse Ecclesiam suam fallere, adeoque neque posse permittere, ut Pontifex Maximus temere, aut suo deceptus arbitrio de Fide, vel moribus definiat. Ex dictis (iterum) hoc unum colligere est, in factis recentis certare quidem in Cardinalium Collegio zelum, & studium servandi incolome infallibilitatis Pontificiæ privilegium; & pro aris, ac focis illud tuendi oppugnantemque contendere, sed nunquam sibi arrogandi quidquam, vel minimum, quod jus hujusmodi ladere, aut vellere unquam possit. Fallitur proinde quam maxime quisquis similibus technis utens, per cuniculos artificiosæ laudis in Cardinales effuse, pertentat, ut suos fines quaque verum excedat.

Hic tanquam quid reconditum profert Auctor, Ecclesiam Romanam ab initio factam habuisse Presbyterium in arduis consultum. Addere poterat frequentius legi in historia ecclesiastica fuisse in Concilio coactos Episcopos finitimos ad rem massime de Fidei negotio, deliberandam. Sed quid inde? Factum extolvit; sed quid fieri poterit, etiam sine illis, non attingit. Mihi non credit; credat Duvalio ab ipso laudato, aliique Doctoribus hujusmodi allegatis, jam supra excusis, qui hanc necessitatem absolutam aliena consultationis adeo perspicue explodunt, ut vel hebes oculorum acies videre poterit.

§. XXXIV.

De inexacta explicatione contrarii assumpti.

UT obseptam ab urgentibus difficultatibus opinionationem suam expediret eruditus Auctor, coactus est novis explicationibus declarare, quid sibi in animo fuerit, quum de necessitate absoluta Consulentis adhibendi ad iudicium definitivum Papæ, in rebus sive Fidei, sive morum, persciendum disserit. An coherentia sint, nunc sermo recurfat. Ait itaque, (1) *Summi Pontificis iudicium pendere quidem ab illa peritorum, sapientum, ac multo magis Cardinalium, facta consultatione, quæstioque consilio, habitoque consensu, tanquam a mediis ad obrinendam a Deo infallibilitatis gratiam necessariis;* Non autem ut intelligi debeat, hoc medium, & conditionem intercedere oportere, (2) tanquam fontem, aut originem, aut causam effectricem Pontificiæ infallibilitatis. Hoc etiam modo loquens de Ecclesia Romana explicat, hanc quidem assensu suo ad infallibilitatem debere, sed nunquam infallibilitatem iudicii efficere, quæ solius Dei opus credendum est.

Res tamen adhuc sic explicata in magnas difficultates delabitur. I. Adhuc intellectus lectoris expectat, unde, ubi probetur necessitas absoluta hujus medi, & conditionis, de quibus filer Evangelium, non meminit Traditio Patrum, & ipsi citati Doctores nihil aliud interponunt, quam opinionationis arbitrium. Et quia nemo alteri coheret, ut lucide ostensum est, neque ad auctoritatem venerabilem opinionionis, in re tam maxima, valent pervenire. Excipio majorem Doctorum numerum, quos ex allegatis mecum stare ad evidentiam demonstravi. II. Comptum est ex Philosophica regula, medium absolute necessarium,

Z

ad

(1) In iter. def. art. 8. pag. 113. (2) Ex libr. 3. de Conf. loc. cit. (3) In Math. cap. 16. (4) Pag. 27. in fin. (5) Pag. 29. in it. (6) Pag. 19. & pag. 30. ante in it. (7) Pag. 33. circa med. (8) Pag. 31. in fin. (9) Pag. 39. post med. (10) Pag. 40. in fin. (11) Pag. 44. (12) In iter. def. pag. 118. (13) Pag. 16. & in iter. def. pag. 30. (14) Vide historiam Concordati apud Petrum Pithaum.

(1) Pag. 45. §. 6. (2) Pag. 47. & in iter. def. pag. 107.

ad illud genus cause spectare, cui inservit. Id ostendam exemplo dato ab (1) Auctore, Intentio Ministri in Sacramentis conficiendis, cum eodem effectiva (2) insit in Sacramentum. Actus vero penitentis simpliciter necessari ad effectum Sacramenti penes causam materialem se tenent. Ecce Consultatio peritorum ableganda est a causalitate effectivae infallibilis iudicii, si datur ut medium, & conditio absolute necessaria? Car id insiciatur Auctor?

Fortasse confidit, quia infallibilitas est Dei donum. Sed nihil relevat. Eito effectus Sacramenti sit gratia, quae Dei donum est, attamen Minister, & intentio suo modo causam effectivam Sacramenti complectitur, cui inest gratia, vel sicut. Quidam erunt Consultules suo modo cum Papa causa effectrix iudicii dogmatici, cui infallibilitas inest? Fortius, infallibilitas est data Petro active utenda. Ergo quidquid Petro adiungitur, ut medium necessarium, est activum suo modo principium indeficientis iudicii. Ergo suo modo est auctor infallibilitatis; quemadmodum intentio suo modo est effectrix gratiae.

Neque dissentire amplius liberum est Auctori (3) de Romano Pontifice falli & fallere nescio differenti. Eius quippe animo alte infedie, consulentes, & per consulentes ipsam Ecclesiam Romanam esse cum Papa Iudicem pronunciantem iudicium infallibile Fidei. Insuper Ecclesiam Romanam sic pronunciantem gaudere infallibilitatis munere, rursus Ecclesiam dictam Romanam specialem in munere, tam activo, quam passivo, ipsa infallibilitatis privilegio frui, ut etiam Papa errante, illa prorsus erroris futura sit experta. Addo, illum docuisse plus infallibilitatis dono ditatam Ecclesiam specialem Romanam, quam Ecclesiam Universalem, quia labente Papa necesse esse universam Ecclesiam labi, & corrumpi, a quo periculo unam excipit Ecclesiam Romanam specialem. Ubiam est hic locus negandi influxum effectivum in definitionem, vel iudicium Fidei? Sed haec sunt, audio, projectae adulationis cavillosa argumenta. Alius tamen reponit, illud esse furati, ut Lupus ait, Papam suum infallibilitatis privilegium.

Prælaudatus eruditus (4) Auctor vult infallibilitatis privilegium æque ac immediate donatum fuisse a Christo & Petro & Ecclesiae. Deum etiam osforibus Pontificis infallibilitatis, per trafennam, Papam esse Caput ministeriale Ecclesiae. Tunc sic, ut utroque sensu, esse os, & linguam Ecclesiae, ut Christianus Lupus supra citatus loquitur. Hac methodo osforis prædicti, una cum Auctore, tribuunt Concilio Generali infallibilitatem iudicii; est enim & istud os & lingua Ecclesiae. Concilium Nicænum inconsultis peritis a Concilio alienis fuit os & lingua infallibilis Ecclesiae in lato iudicio. Quare? Quia nemini alteri datum est hoc privilegium; neque ex hominum arbitrio instituenda est alia Ecclesia illigata mediis, & conditionibus ex necessitate absoluta requisitis, quas Christus minime præscripsit. Et quis recte cogitabit Pontifici ex officio desinenti, ut est os, & lingua Ecclesiae, organumque Spiritus Sancti, injiciendum esse vinculum sive mediis, sive conditionis ex necessitate absoluta, quod Christus præterit, quod Ecclesia per tot facula nullatenus indicavit, & dumtaxat post Schisma Basileense unus, vel alter opinor incoherenter invexit?

Quid? Quod idem eruditus Auctor eadem ma-

nu, qua extruit necessitatem simpliciter adhibendi consulentes peritos; intentum, & dicta confestim diripit, & valet? En verba; (5) *Contingere potest, ut Pontifex hac ipsa, qua dicimus media, a divina providentia definita, aut ab humana prudentia dictata, adhibere omnino non possit. Magna vis veritatis, quæ etiam nolentem trahit! Cujus generis est hujus sermonis disjunctiva? Profecto vel dubitans mens pendula, vel utriusque partis acceptio assertiva. Ecquis tantis cervicibus erit, ut evincere doctos valeat; medium ab humana prudentia inductum prorsus iugum impositurum Pontifici, & quod lepidum est, de jure etiam divino, ut sapissime inculcat, adeo ut sine hoc medio laturus de Fide iudicium indeficientis privilegio sit spoliatus? Quod si intelligere velit permissam prudentiam humanam electionem singularium Consulentium; cur toties petit, & repetit jure divino esse designatum florentissimum Clerum, deinde suffectos amplissimos Cardinales, pro modo, variata formula, vel Galeratos, vel non Galeratos satis esse? Scio e quidem quædam jure divino statuta, fuisse dimissa auctoritati Ecclesie complenda in specie per adpromissam assentientiam Spiritus Sancti suggerentis, ut de quibusdam Sacramentis legimus. Sed nunquam legere est, non auctoritati, sed prudentiam hominum concessum esse, novum jus divinum posse condere, illudque minus ad placitum transferre, ac moderari more sigilli. Plura redundant; quia nimia absurditas abunde per se loquitur.*

§. XXXV.

De absurdis evasionibus.

Utilem Apologiam sibi comparat Adversarius, dum nervoso studio absurda evacuare fatagit. Primo in eo versatur, quid respondendum esset in eventu, quo Summo Pontifici Consulentium copia præsto ei non esset. Tunc dicit, relinquendum esse divinam providentiam, (6) quæ modo extraordinario tribuet media necessaria: uti in defectu ministri confereratis baptismum docemur supplere, & satis esse baptismum flaminis. Nihil ad propositum. Quæstio postulat, quid sit dicendum de absoluta necessitate Consulentium in Pontifice laturus iudicium de Fide, prout passim occurrit. Quod an possit suppleri a Deo in alia providentia etiam sine Papa supremo Iudice controversarum, non est inquirendum. Silet de hoc antiquitas, silet traditio. Quæstio inquiri, an Leo Magnus exarans definitionem Fidei in sua Epistola dogmatica ad Flavianum, absque aliorum consultatione, & assensu, subierit errandi periculum, Auctor affirmat, absque Textu Evangelico, absque Patrum traditione, absque Doctorum irrefragabili fulcimento, absque rationum pondere, solo innixus opinantium paucorum, sibi neque coherentium, ut vidimus, auctoritatis nomine. Nos contra pugnamus, præluere evangelicum Textum, quo Petrus solus constitutus legitur Pastor ovium omnium, & alterum, quo solus institutus est doctor, & magister omnium per illa verba: *Et tu confirma fratres tuos.* Accedit silentium totius Antiquitatis, quæ nunquam cogitavit de adiungenda necessitate consultationis, unde exceptio de novitate satis est in re maximi momenti ad consultationem opinionationis.

Petrus congregavit Ierosolymis Apostolos, & Se-

Seniores, ut (1) disceptatio de usu legalium communi acquisitione dirempta esset. Nemo dixit, fuisse id inductum ut necessarium medium a successoribus absolute adhibendum. Idem Petrus lucide rem explicat, dicens: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.* Protulit immediate sententiam ab omnibus laudatam, & scriptum fuit decretum. Ex his discimus, permissam acquisitionem, non ex necessitate absolute factam fuisse, sed quia conveniens duxerat Petrus ad partes disceptantes sedandas medio Concilii uti. Leo quoque Magnus optime conficius indeficientia sibi a Christo tradita, cum independentia a quolibet necessitatis medio, in hac verba scripsit, se permissis Concilium Chalcedonense, licet Deus (2) *nostro prius ministerio definitur.* . . . *ut Concilium vere a se prodixisset ostenderet, quod prius a prima omnium Sede firmatum fuerat.* Hæc coherentem cum his, quæ ad Flavianum scripserat: (3) *rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu.* Argumentum hinc validum sumitur. Et Petrus, & Leo absolutos se agnoscentes a necessitate Concilii cogendi, ob indeficientiam sibi notam prerogativam, ad convenientiam, & suavis agendi rationis titulum, hujuscemodi medium dumtaxat adhibuerunt. Ecce coacti erunt dicendi ad vocandos hos, & illos Consiliarios, semel ac nec Petri exemplum necessario cogit ad colligendum Concilium?

II. Fingit Auctor (4) eruditus nullatenus percipere, cur argui debeat de impacta fallibilitate Pontifici, si peritos non advocet, quum ejus personam infallibilem etiam identidem agnoverit, & declaraverit. Fingit, inquit, quia fortasse non attenderit ad illum præclarum titulum libri: *De Romano Pontifice falli & fallere nescio.* Titulus absolutus absolutam pollicetur resolutionem. Ad hæc magna invitatus lector jucunde librum pervolvitur, sed statim in prioribus paginis offendit: (5) *Si de Pontifice nulla Sedes sua habita constitutione, nullo illius accedente consensu, disputarent; hanc æque concederem Pontificem errantem.* En præclara laus tituli! en Thesis! Illud ne est, respondit Auctor, in sola Ecclesia Romana infallibilitatem agnoscere, non item in Summo Pontifice? Proh Sancte Deus! Si utriusque data est infallibilitas iudicii, ino Pontifici cum dependentia ab Ecclesia Romana, ut a consuecæ simul pronunciant, nonne titulus fallit, & expectatio boni lectoris confestim fallitur? Nonne est abducere fidelem animum potioris, & amplioris mundi partis, cui alre hucusque infixum est, uni Petro datum esse Summi Pastoris, & Summi Doctoris manus; & decus: adeo ut ipsum Concilium, universamque Ecclesiam pendere necesse sit a Pontificio iudicio, neququam istud ab illa, ne duo Capita, ne duo Pastores, ne duo Doctores maximos cogamur fingere contra Christi statutum? Hæc si pensâ examinabit Auctor, æquioris animi erit.

Rejicit (6) vir eruditus hoc consuetarium, sed frustra; semel dato per ipsum infallibilitatis dono in Ecclesia speciali Romana. Et eo magis, quia, ut vidimus, hanc specialem Romanam Ecclesiam eximit a dependentia Papæ: quia errante Papa docet universam Ecclesiam erraturam fore; ubi vero agit de Ecclesia speciali Romana a periculo errandi eam liberat. Quid hæc gestiunt, nisi unam dependentem a iudicio Papæ statuere, alteram absolvere. En duo Iudices supremi; en duo Doctores inter se absoluti; en Papa non am-

Serry Tom. V.

plius organum Spiritus Sancti, sed vel sui ipsius, vel ejusdem specialis Rom. Ecclesiae. Ex quo duo absurdiora fluunt: nimirum & quod Ecclesia Romana specialis sit per se infallibilis, & quod potiori infallibilitate præ Papa gaudeat.

Pergit vir (7) eruditus sibi suadens non ita id sequi, quia in priori hypothesis, Pontificis errorem in Ecclesiam refusum iri, utpote qua Pontifici erranti dedisset assensum, in secundo non item. In vortices se se oratio involvit. In utraque hypothesis exposcit Auctor assensum, vel supponit. Ubi osforis Pontificia infallibilitatis postulant consensum posteriorem Ecclesie; dicit cum rejicere; quia cum Papa errante tota Ecclesia eodem inficeretur errore. Ergo ubi petit prævium Ecclesie specialis Romanæ assensum, necesse foret hunc eundem errorem imbibere. Et magis, quia hæc contendit esse conjunctum una simul pronunciantem latum errorem. Utrobique est par ratio, & evincit. Quod autem Ecclesia Romana sit consulens, & Iudex cum Papa pronuncians, est paradoxum intolerabile jurisperitis incognitum. Si enim contingeret quidquam definitum iri defunctis Consiliariis, hoc iudicium audiet apud jurisperitos, ut iudicium vivorum, & mortuorum. Recolat scripsisse (8) de Papa desinente cum Cardinalium consilio, & assensu, quod ipsam sit Ecclesia Romana docens, iudicans, & pronuncians.

Præterea hic devolvitur ecclesiastica Monarchia in puram putam vesaniam Aristocraticam, quam coram Eugenio IV. Episcopus Meldensis exprobrabat Basileensibus. Et verbotenus dicitur Petrus doctor, & magister, ac Pastor unice supremus totius ovilis Christi. Quid est Aristocratia, nisi multitudo Optimatum, singillatim consulentium, & simul perhibens Consulum, & sententiam ferens? Respondit vir (9) eruditus, Petrum Episcoporum Caput esse, & Pastorem; *quamquam sint illi simul, universalis Ecclesia docens, iudicans, ac de Fide pronuncians.* Sed errat. Episcopi in Concilio coacti se dicunt quidem representare Ecclesiam universalem, ut legere est in actis Constantiensibus, non autem se dicunt ipsam Ecclesiam universalem: aliter omnes magistri nullus discipulus. Ad rem nostram. Petrus cum Episcopis pronuncians, non ex necessitate, sed pro sua libertate, & indulgentia pronunciat, sicut pro libertate sua cogit Concilium. Quod & contingit in Supremo Monarcha absque dispendio Juris Monarchici. Sed ipse adversarius vult, & contendit, Ecclesiam Romanam representatam per Clerum, vel Cardinales, ex necessitate absoluta, esse Iudicem supremum controversarum docentem, iudicantem, & pronunciantem de Fide. Ecquid dicit puræ putæ Aristocratiae? Et quid Petro relinquatur, nisi vacuum nomen Capitis, Doctoris, & Pastoris? Mens primævis impleta præjudiciis vix emergit.

§. XXXVI.

Radix controversia eruta.

Pro veritatis amore, quo quilibet sui compos flagrare tenetur, compellor aperire candidè, controversie præsentis radicem, ut perspicue eluceat, quantum opinatio adversarii Pontificiam infallibilitatem oppugnet, & quo fiscalneo fundamento sit innixa. Primus, qui hæc, sed leviter, quæstionem excitavit, fuit, ut aliquibus placeat, Guido Carmelita in Concordia quatuor

Z 2 Evan-

(1) Pag. 45. init. & 46. (2) Gotti Card. tom. 13. q. 7. dub. 3. n. 3. (3) Dissert. 1. pag. 6. & 9. (4) Loc. cit. cap. 4. pag. 31. (5) Pag. 50. §. 7. init. (6) Pag. 51. init. & in iter. def. pag. 108.

(1) Act. 15. (2) Epist. 63. ad Theodor. Cyr. ep. (3) Epist. 16. (4) §. 8. pag. 52. (5) Dissert. 1. pag. 9. (6) In iter. def. pag. 110. (7) In iter. def. pag. 125. & seq. (8) De Pont. Rom. Dissert. 1. pag. 9. (9) In iter. def. pag. 127.

Evangelistarum, cui pro titulo praefixit *Quatuor annuum*. Floruit hic Theologus illustris circa annum 1330. Clavum Ecclesiae tenente Joanne XXII. cui Opus praedictum nuncupavit. Omnibus compertum est, quanta fuerit nequitia illius temporis ob famosa dissidia inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliarum Regem, necnon inter ipsum Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum; & quantum in discrimen expartium contententium studio adducta fuerit Pontificis Romani auctoritas, & infallibilitatis privilegium, quia ab illa infesta perinde ac infesta tempestate lustuosum hoc de Pontifice certamen subit, & adhuc subit Ecclesia, cito pluribus, & iteratis spiculis pertinaces ofores percussit, ac doctissimis elucubrationibus compressit, redexeritque ad incitas. Id constat vel lippis, ex mendaciis, ex falsatis auctoribus, ex truncatis auctoritatibus, ex dissimularis argumentis, ex digressionibus ad nugaria, & contumelias, quibus scaten eorum pagellae, quin illos pudeat, utpote pudoris expertes, haberi, apud sapientes, impuros veteratores ad omnes ambagiosas fugitandi ludificationes paratos, ac expeditos; pertinaciam, quam colunt nunquam excussuros.

Scribente itaque Guidone (1) in hac rerum perturbatione, excidit calamo dictum illud: *Ubi Summus Pontifex cum Collegio Dominorum Cardinalium, sive cum generali Concilio congregantur in nomine Domini, & pro Fide ejus, ibi est ipse Christus, qui est veritas sine errore*. Novitatem assumpti odoratus, quoad convocacionem Collegii Cardinalium, statim protestationem intexit in haec verba: (2) *Salva semper veritate, & determinatione Sedis Apostolicae, ac Sanctae Romanae Ecclesiae, cujus iudicio, & correctioni per omnia, & in omnibus me submitto, & quod absit, si aliquid contra veritatem, aut Sedis Apostolicae determinationem dixerim, ex nunc revoco, & pro non dicto haberi volo*. Igitur praemissa praedicta protestatione, videtur mihi ad salvandam certitudinem, & infallibilitatem Fidei Christianae, & stabilitatem auctoritatis Ecclesiae, quoad secunda pars, ad quam inducitur sunt ad oppositum rationes, sit vera; videlicet quod Dominus Papa, ad cuius auctoritatem pertinet determinare sententiam, & declarare, quod ad fidem pertinet, non possit cum Concilio Cardinalium errare.

Pluribus deinde argumentorum momentis evincit Guido infallibilitatem Summi Pontificis, nulla facta mentione de necessitate Concilii Cardinalium. Imo expresse docuit: *Ex quibus patet immutabilis, & invariabilis Ecclesiae Catholicae auctoritas, quae post Christum in solo Summo Pontifice, & non in aliqua privata persona nascitur universaliter contineri*. Postea in (3) sine producti quaesiti, adhuc formidine perturbatus praemissam repetit protestationem, dicens: *Haec dicta sunt sine temeraria assertione, & salva veritate, & sub correctione Sedis Apostolicae, & Ecclesiae Romanae, cui nunc & semper in omnibus dictis meis, & dicendis per omnia submitto*.

In tota hujus quaestione serie, quam a versu 31. adortur, nil aliud (4) probat Guido, nisi tria, nempe I. Ad Ecclesiam spectare determinationem Fidei. II. Statutis ab Ecclesia debere assensum omnium Fidelium, quia errare non potest. III. Omnem auctoritatem Ecclesiae esse in solo Pontifice. Sed de necessitate adhibendi Concilium Cardinalium nullam probationem affert, & ex repetitis protestationibus aperte gestit, id ex propria suggestione invectione fuisse. Sed unde

probabilitatem haurire est in asserto nullo testimonio sacrarum literarum, nulla auctoritate Patrum, nulla ratione fulto, vel colorato? Igitur, qua fluxit facilitate eloquium, & assertio, per sese diffuit, tanquam improbabili privati Theologi suggestio. Minime defuisse Guidonis sapientiae aliquid probationis genus, si quidquam validum excogitare potuisset.

Verum si penitus doctrina Guidonis introspectiatur, non eo scrupulo fodiata erat mens, quasi Concilium Cardinalium exigeret necessario, loco Concilii generalis, ad determinandas res Fidei; sed quia dubius erat, an satis esset, pro auctoritate Ecclesiae explicanda Collegium Cardinalium extra Concilium generale. Ex quo hoc argumentum conficio. Si Guidoni non erat perspectum sufficere Collegium Cardinalium ad representandam Ecclesiam statuentem de Fide, multo minus contentus fuisset, ut vocarentur Consules periti inferioris notae. Igitur vel ipse tantum pro certo tenet, non posse Papam extra Concilium generale quidquam ad fidem spectans decernere: vel plenam potestatem concedit Pontifici, extra quoque Cardinalium Concilium definiendi de Fide. Quum, ut vidimus, ipse agnoscat in solo Papa rotam auctoritatis Ecclesiae, itaque exulat a sententia Guidonis novitia haec necessitas absoluta Cardinales consulendi, & casualcumque generis peritos.

§. XXVII.

Prosequitur praecedens argumentum.

SEculo posteriori, in altera malorum colluvie ob luctuosum schisma trium contententium Pontificum deinceps renovatum in conventu Basilensi, scripsit insignis Theologus, ac Canonista Joannes Cardinalis de Turrecremata *Summam Ecclesiae*, ubi de potestate Papali tractatum inseruit. Et explicans (5) qualis ea sit Apostolicae Sedis sententia a Pontifice prolata de Fide tenenda, dicit eam esse, *quae maturo, & gravi virorum sapientum, & maxime DD. Cardinalium Concilio primo digesta, & maturata sancitur*. Praecedentibus verbis scripsit, non eam esse, *quae occulte, malitiose, aut inconsulte profertur*. Hanc labem certissime non incurrit Leo Magnus, neque incurtere poterat, quia Deus non est permisurus, ut tanta labore nequitia Pontifex, vel negligentia, eo ipso, quod velit mittere Spiritum Sanctum assistentem, ac dirigentem Papae iudicium de Fide promendum. Notandum tamen est, Purpuratum hunc nunquam adiecit clausulam, unde educi possit necessitas absoluta alicuius consultationis, etsi asserat, quod *Summus Pontifex cum Cardinalium consilio, & assensu agit, disponit, atque gubernat universam Ecclesiam*. Equis est adeo hospes, ut Papa in singulis, etiam arduis, quae suam non excedant potestatem, vel non involvant, cogatur semper consulentes adhibere, aut velit? Simulacrum hoc neque potuit Purpuratum de Turrecremata somnare.

Ad ulteriora. Magister Silvester Prieras (6) post integrum saeculum alicuius de hac re differuit. Videtur enim inferre velle, quod Papa, ut Papa agens, determinat cum consilio deputatorum. Sed adhuc nullam clausulam copulat, pro necessitate absoluta hujus agendi rationis. Hic cautus loquens modum indicat omnino voluisse consulto abstinere a quaestione de possibili, videlicet: an possit Papa etiam inconsultis peritis, ut

ut Papa, determinare de Fide. Neque negotium facessit, quod hic agendi modus sit de jure divino, ut ait, quia supra abunde ex Cupers explicatum est, quam latissime recipiendum sit hoc jus divinum in praesenti.

Sed omnem scrupulum, dubietatemque interpretationis suffulit egregius Theologus (1) Andreas Duvalius, qui adeo urget necessitatem peritorum consilii, ut illam turgentibus verbis circumscripterit, dicens: *Neque aliter, ut in confesso est apud omnes, ei (Papa) assistit Spiritus Sanctus*. Acrioribus verbis extulit eandem necessitatem Magister Gravina scribens: *Quia Spiritus Sanctus hac lege ei (Papa) assistit, si consultationes praemittantur*. Nihilominus uterque (2) Doctor praclare, ac nitide excipit, ut jam superius verbis eorum relatis, demonstratum est; nimirum, quod Si doctus Pontifex per se se difficultates evolvere velit, poterit utique sine peritis consulentibus de rebus Fidei iudicium ferre.

Igitur neque Cardinalis de Turrecremata, neque Silvester Prieras, qui minus necessitatem alieni consilii uterunt, & quilibet alius Doctor eos sequutus, cogi possunt in necessitate absolutam venire; etiam vir eruditus dissimularis verbis Gravinae, & Duvalii, & indiscussa eorum integra doctrina sibi favere per vim omnem contendat. Sed jam noverunt sapientes, apud quos aequa laus, vel probum.

§. XXVIII.

In idem argumentum.

NEGlectis quibusdam ratiunculis objectis ab Edmundo Richerio, ut infallibilitati Pontificiae obstitere, jam plene a Duvalio dissipatis, ex quarum occasione recurrit in Galliis disputatio de necessitate consultationis praemittendae ad iudicium Papae de rebus Fidei & morum, tota huius rei ruinosa moles extruitur super cap. *Apostolicae*, & super cap. *Venerabilem*, de quibus hic singularium agendum est.

Canon *Apostolicus* ex Regesto S. Gregorii deductus in hac verba (3) se explicat, ut supra innuimus: *Apostolicae Sedis sententia tanta semper Concilii moderatione concipitur, tanta patientia, & mansuetudine deoquiritur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut nec immutari necessarium ducatur, nisi forte sic probata sit, ut retractari possit, vel immutari, si secundum tenorem praemissa conditionis existat*. Ibi repetentes Doctores conieciunt inferri, non esse ferendam sententiam sub conditione, semel ac definitiva sit, secus si sit interlocutoria, vel provisionalis. Verum ubinam in recitatis verbis cubat necessitas alieni consilii? Nunquid in verbis illis: *Tanta semper Concilii moderatione concipitur?* Sed ubinam legitur semper constitui ubique iudices cum assidentibus Consiliariis? Ubinam semper, & ubique adest plurimum Magistratus? Adest ne in Pagis, & Oppidis, imo in urbibus, ubi in pluribus unis praeficitur Iudex, qui neminem consulit, nisi leges, & Doctorum libros? Haec igitur est consultatio perita a Canone, nec quid aliud exigitur, ne cogamur sententias iudicium in Pagis existentium de nullitate excipere.

Et sane, ita intelligere necesse est. Eundemque Canonem sic intellexit Duvalius, ut etiam in definitionibus Fidei doctus Pontifex, veluti Gregorius, veluti Innocentius III. possit per se se Scripturas evolvere, Patres scrutari, Traditio-

nem consulere, & perfectissime contemplari. Quid ad claram, expeditamque Duvalii declarationem, sententiamque excludentem necessitatem absolutam alieni consilii, respondet eruditus Auctor? Exclamat: *Quid clarius, quid disertius? Utrique contra opinionem, quam sectaris de necessitate absoluta exquirendi peritorum consilium, quia si licuit Leoni Magno, si licet Gregorio, vel Innocentio, evolat proculdubio necessitas absoluta, ut supra est demonstratum. Ergo Canon Apostolicus, qui gestit gravitatem, & maturitatem consuetam Pontificum in definitivis sententiis, non cogit eos ad consulendum peritos, nisi prout a Deo directus fuerit, iuxta datum iudicium discretionis, adeo ut si per se valeat proprio labore, ac studio difficultates exsolvere, ut Magno Leoni contigit, possit etiam rem de Fide definire.*

Obiicit adversarius: (4) *Si quid probat argumentum, illud, ut summo probat, Pontifices ex definitione, & doctrina praestantes, Leonique simillimos, per se se, ac sine consultatione, alienoquo consilio esse infallibiles, non item alios*. Sed errat. Qui aligat infallibilitatem cum peritorum consilio ex necessitate, & constituit Ecclesiam Romanam pronunciantem simul cum Papa, ille est, qui a peritorum sapientia, fere semper in voto discordi, infallibilitatem Pontificum metitur, & explicatur. Sed qui liberam dimittit Pontifici uti, vel non uti alieno consilio; & totius infallibilitatis pondus refundit in Dei donum, tum discretionis circa apparatus iudicii, cum ipsius iudicii deliberationis, ex adpromissa Spiritus Sancti assistentia directae, & suavi providentia impulsae; nequaquam sapientiae, & eruditionis Pontificum indeficientiam iudicii, ut docemus, attribuit. Quae nuda modum dono gratiae respondet meriti principium, ne gloriemur in nobis.

§. XXIX.

De Cap. Venerabilem.

ALTERum argumentum educitur ex cap. (5) *Venerabilem*, quod est Innocentii III. ad Wilhelmum Comitem Pessulanum. Ibi Pontifex ad vindicandam Sedis Apostolicae, hoc est, Papae pro tempore existentis, potestatem, docet ad eius iudicium causas referendas esse, sententiamque expectandam, cui omnino standum sit. Proculdubio Textum ex Deuter. cap. 17. quo Deus populo praecepit: *Ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. . . . Venisque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore. . . . Qui autem superdixerit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille*.

Explicat deinde Textum Innocentius dicens: *Locus, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur, id est Petrus ex Christi mandato Romanae Sedem fundans. Sunt autem Sacerdotes Levitici generis fratres nostri, inquit Innocentius. Hos esse Cardinales aliqui (6) interpretantur. Alii esse Episcopos censent, quia tempore Innocentii III. adhuc delitesceret dignitas Cardinalitia, tot privilegii destituta.*

Scitu dignum est, quid in iudiciorum Republicae Hebraeorum instituto legitur, quod ex (7) Sigonio delibare placet. Instituta a Deo Moyses Dux populi sui solus obibat manus iudicis, adeo ut consultus ab Jerro, ut tantum laborem sibi parceret, inter viros sapientes illud idem mu.

(1) §. Item. (2) §. Unde. (3) §. Ulterius in fin. (4) Pag. mihi 895. (5) Libr. 2. cap. 92. d. 6. object. (6) Loc. supra cit.

(1) Tract. de supr. Pont. pot. p. 2. q. 3. ut supra secretum. (4) In iter. def. pag. 116. (5) Tit. Qui fil. sunt legit. (6) Gonzalez in dict. cap. (7) Sigon. de Republ. Hebr. l. 6. c. 6.

munus distribuerit, reservata sibi tantum gravio-
rum rerum cognitione. Successive iussu Dei fe-
stingunt Seniores delecti fuere, qui per civitates
distribuebantur iudicia finituri, ea lege, ut si li-
tes exsolvere ignorarent, eas ad Synedrium refer-
rent. Tempore Iudicum supremorum & ipsi soli
iudicia expediebant, quomobrem (1) de Debora,
& Samuele legitur, quod circubant per loca ju-
dicantes (2) Israel. Ergo soli absque consili-
ariis, vel assistentibus. In Senatu autem Leviti-
ci generis aliud erat iudicium Levitarum, &
aliud Pontificis, qui per annum deligebatur in-
gressurus sancta penetralia, ibique Domino mini-
straturus. Ad illos pertinebant causae minores,
ad hunc majores causae reservabantur, pro quibus
si opus erat, Rationale consultebat, in quo (3)
doctrina, & veritas emicabat, Seniores autem
Levitei generis non uno loco erant iudicaturi;
sed alii sedebant in porta, alii in atrio, alii Se-
natum consuebant, faciliora successive, tum dis-
ciliora iudicantes, pro remissionem unius ad al-
terum Tribunal.

Adde Textum Eccl. 45. 21. de Aaron dicentem:
*Dedit illi in preceptis potestatem, in testa-
mentis iudiciorum docere testimonia, & in lege sua
dare legem Israel.* Ubi Lyranus explicat: *Ad
declaranda dubia, referrebantur ad summum Sacer-
dotem, ut sententia sua infallibiliter veneretur* 17.
Dent. Ibiq. concordat Ugo Cardinalis.

His explicatis, labitur utrinque elumbe argu-
mentum, ob minime discussas Scripturas, obje-
ctum. Igitur iussit per Moysem Deus populo,
ut veniret ad destinata Tribunalia gradatim pro
qualitate causarum, intellecta particula & disjunc-
tive, alias etiam Iudex, supremus dux, debuit
fieri simul convenire, quod, ut vidimus, repugnat
Scripturis. Quod si difficillimum occurrerit, va-
dat populus ad Pontificem illius anni, & ne de-
clinat a sententia, quam audierit. Ita, inquit
Innocentius, venies Romam, ubi in diversis Tri-
bunalibus sedent iudicaturi Cardinales fratres mei.
Ubi autem peritio suberit, vel quaestio de Ma-
joribus, puta de privilegiis, de dispensationibus,
& de interpretatione (4) Scripturarum, de Fidei,
& morum controversiis, ad Petrum venies expe-
ctatur iudicium, a quo nefas sit resilire: quia
hic assistentem habet Spiritum Sanctum, & dono
discretionis, atque infallibilitatis est munitus,
quemadmodum Pontifex veteris Testamenti inspi-
ciendo Rationale doctrinam & veritatem promen-
dam docebat.

Quid extrudant ex hoc cap. *Venerabilem*, pro
necessitate absoluta peritorum consilii, nullus con-
ficio, quia nulli in neutro Textu nec verbum
legitur. Potuit in lege veteri Iudex pro arbitrio
consultare, vel per se se iudicare, ut vidimus.
Potuit & ipse annualis Pontifex, quum Textus
suffragetur; occur id denegandum Petro, qui me-
liori tangitur Sacerdotio, & altiori privilegio a
Christo est donatus. Qui plura desiderat, adeat
Magistrum Capponi a Porrecta, qui in aureis ve-
ritatibus super Leviticum, & Deuteronomium do-
cte, ac perspicue impugnat adversariorum opina-
tionem de necessitate absoluta alienae consultatio-
nis in iudicio infallibili Papae.

(1) Sigon. libr. 7. cap. 2. (2) Judic. cap. 4. & Reg. 1. 7. (3) Sigon. l. 5. cap. 2. (4) Gonzales loc. cit. (5) S. Præced.

§. XXX.

De paritate Capitis utentis membris
Corporis.

A Naturalibus ad moralia procedit praesens ob-
iessio. Sicut, inquit, Caput naturale per-
necesse habet uti cæteris membris ad obeunda
Corporis, & sui officia; ita Caput morale, cu-
jusmodi est Papa debet uti membris suis, puta
Cardinalibus, vel peritis, qui vel actu, vel ha-
bitu sint Cardinales, ad obeunda officia propria
Capitis in favorem totius corporis Ecclesiae.

Hæc summa argumenti, quod mille pedibus
claudicat. Age. Quid nomine Capitis naturalis
venit? Certe Caput suis partibus integrum, sicut
de pede, alias truncus simillimus Hermae impo-
nens ad suum officium erit, sicut & de manu di-
gitis orbata est dicendum. Sed Caput naturale
plura facit per se se absque necessitate utendi alie-
nis a se membris; igitur & poterit Caput morale,
absque usu Cardinalium, vel peritorum.
Præterea; principale, quod est in Capite natu-
rali, est mens dirigens, determinans, atque des-
tinans; sed hæc præstantur absque membris exter-
nis: igitur, & in Capite morali, quod in mente
sua poterit rem Fidei definire infallibili iudicio
se ipsam obligante ad assensum; esto ad aliorum
obligationem etiam pronuntiatio requiratur. Est
enim supremus Iudex, nemini subiectus, maxime
in Fidei iudicio. Itaque ineptissima est paritas ad
intentum necessitatis absolutæ alieni consilii.

Ad hæc. Etsi frequenter similia ad naturalia
metamur Moralia, nunquam paria evadunt, quia
in Moralibus adest semper major ampliatio.
Exempla dedimus ex sacris (5) literis. Dux po-
puli Dei erat insimul Iudex, & tamen per sepe
iudicabat absque consilio; ut de Debora, & Sa-
muele legitur; & de Salomons alibi diximus, &
constat ex Scripturis, Ita quoque legitur de an-
nuali Pontifice antiquae legis, qui incumbere
iudicia altissima doctrinæ, & veritatis. Et dete-
rioris conditionis erit a nobis censendus Pontifex
Maximus legis Christi adeo excellentioris gra-
tiae, & privilegiorum abundantia ditata, & di-
tantis?

Adde. Quod Cardinales sint membra Papae
passim legitur apud Jurisperitos, & apud Theolo-
gos. Sed quod simplices periti non mitrati, ne-
que Galerati sint membra Papae, quia sunt Car-
dinales re, & actu, esto non nomine, vel habi-
tu, nullus id dixit, aut somniavit. Eoquis col-
liget ex paritate Capitis, quod Papa ex necessi-
tate utens, ut Caput, suis membris, liberum ha-
beat uti peritis non Cardinalibus, qui nullatenus
habentur, ut membra illi adhaerentia? Sane paritas
tot morbis laborat, ut pudeat illam amplius
refricare. Quod argumento est, ut insignis Theo-
logus, & Canonista Silvester Prieras eam urgens,
nunquam intenderit exinde deducere necessitatem
absolutam alienae consultationis in Papa desinen-
te ex Cathedra, sed decentiam, & convenientiam,
ad melius esse dumtaxat perpexerit inferre.
Decipiuntur quippe adversarii in eo, quod
agente Petro ex humilitate, cum communi omnium
voluntate, ita ut nihil ageret principaliter aut do-
minative, ut ait Chryostomus super act. Apost. cogitanti,
non habuisse per se liberam auctoritatem
agendi, & definiendi, quod falsum est, ut ex ipso
Chryostomo observavit Cardinalis de Turrecre-
mata libr. 3. cap. 24. parum ab initio.

§. XXXI.

§. XXXI.

Corollarium praesentis Dissertationis.

T Otus disceptationis conatus cum adversariis
in contraria collimat. Pontificii Theologi
vindictam absolutam infallibilitatem Papae in de-
finitionibus Fidei & morum universae Ecclesiae
propositis, inixi verbis absolutis Christi Petro
dicentis: *Pasce oves meas: Pasce agnos meos: &
alibi: Confirma fratres tuos, ubi nihil de condi-
tione, vel medio extraneo quidquam innuitur.*
Ita intellexit Antiquitas, ut semper Patribus, &
perpetua Traditioni ignotum fuerit additamen-
tum, quod post dissidia, & schismata ad circum-
scribendum, & callide circumcidendum hoc pri-
vilegium, unice a Christo datum, ofores Ponti-
ficis auctoritatis novissime excogitarunt. Ex quo
fit, ut apud Pontificios Doctores sit irrefragabilis
hæc propositio absoluta: *Papa docens in rebus Fidei
& morum totam Ecclesiam, est infallibilis.*

Ofores Pontificiae auctoritatis intelli conatu
per cuniculos moliti sunt assertum inficere, &
deicere, ut alteram contrariam propositionem care-
re inducerent, nempe: *Papa docens in rebus Fidei
& morum totam Ecclesiam, est fallibilis.* Ita pro-
tulit Alphonsus de Castro; ita Auctor opusculi
*de Pontifice Romano fallere & falli nescio, suo
figmatem notati. Quidquid enim additur, quod
ignoravit antiquitas, quod traditio Patrum
non adunxit, nunquam infringit absolutum de
Papali infallibilitate assertum, sed variat, ut no-
tum est Philisophis. Do exemplum, quod sup-
pedat vir eruditus, hæc minime ad rem suam,
ut perperam censuit. Hæc propositio: *Prædesti-
natus erit salvus; est assertio aeternæ veritatis. Si
quis adiciat conditionem per modum contingen-
tis, nempe: Si perseveraverit, erit salvus, si non
perseveraverit, non erit salvus, ecce resoluta pro-
positio in falsum, & impossibile ex adjecto asser-
tum; nimirum: *Prædestinatus non perseverans non
erit salvus.* Ratio omnium est, quia ly *prædesti-
natus* includit certissimum decretum salutis con-
sequenda, & simul decretum dandi donum finalis
perseverantiae. Alia vero propositionis, quæ non
causam, sed effectum prædestinationis explicat,
possunt esse simul vera, ut istæ sunt: *Qui per-
severat usque in finem, salvus erit: Qui non per-
severat usque in finem, non erit salvus; quia
utraque præcendit a decreto intentivo prædesti-
nationis.***

Tunc sic. Hæc propositio: *Papa docet totam
Ecclesiam; involvit necessario assistentiam Spiritus
Sancti, & in hac donum consilii, & discre-
tionis, a quibus infallibilitas fluit & docen-
tis & doctrinæ, ideoque si quid contingens,
ut necessarium adiungatur, inferri necesse est hanc
impossibilem assertionem: *Papa directus a Spiritu
Sancto fallere & falli potest.* Ut quid igitur ofo-
res Pontificiae infallibilitatis illigant consilio pe-
ritorum indefinitam Papae, nisi ut illam evertant
per absolutam enunciationem: *Papa docens
universam Ecclesiam est fallibilis?**

Inquit vir eruditus conditionem de adhibendo
consilio alieno subintelligit in dictis Evangelicis,
sicut Intentio ex parte ministri subintelligitur in
data potestate conficiendi Sacramenta. Sed est dis-
simile exemplum. Tum quia Hieremias cap. 48.
ro. legitur: *Maledictus, qui facit opus Dei fraudu-
lenter; vel, ut vertit Chaldaeus negligenter: Tum
quia id habetur statutum in Concilio Florentino*

(1) §. 9. pag. 54. & in iter. def. art. 9. pag. 133. (2) De Pont. fall. & falli nescio Dissert. 1. cap. X. pag. 63. (3) Loc. cit. pag. 66. (4) Et pag. 97. (5) Pag. 73. cit. opusc. (6) Pag. 132. cit. opusc. (7) Pag. 55. n. 2. & seq. & in iter. def. pag. 134.

pro Armenis: tum quia est conditio ex parte
causae, ut actio sit humana, & non præcise ho-
minis, quæ potest brutis assimilari. Ex quibus
omnibus si concedimus debere Pontificem vel per
se, vel per peritos rem definitam examinare,
ac discutere cum Scripulis, & Traditione, do-
nec veritas confiter, quid ultra imponitur neces-
sitas absoluta, quam Patres Ecclesiae non imposue-
runt, neque imponere cogitarunt? Sed candidè
loquar. Nimis urit Pontificis ofores infallibilitas
Papae. Nimis angit Itala constantia: Et quia su-
perare diffidunt, ad figmenta, & ad calumniam
objectæ adulationis erga Sedem Apostolicam re-
fugiunt, O miserum effugium!

§. XXXII.

De factio Dogmatico.

A D alterum quaestioni Caput transit erudi-
tus Auctor: loquutus nempe de iudicio
infallibili super Factio Dogmatico, illud a Pon-
tificæ Maximo abjudicans. In iudiciis, quas ador-
nat, pro auctore (1) opusculi *De Romano Pon-
tificæ fallere & falli nescio*, ad quaestionem, de qua
agitur, plura silentio premit, & unum tantum
depromit. Omnia recitabo integre, ut duo discan-
tur. Primum in re momentosa, uti res sunt Fi-
dei, neque ambiguitate, neque æquivocatione u-
tendum est. Alterum est, ut perspicat, Argos,
non Aristarchos compellandos esse quos, Censores
fenserit.

Laudatus (2) Auctor pluries de factio dogma-
tico verba fecit. Primo, quum Zosimum PP.
purgat a calumnia ei objecta, perinde ad si pa-
ros errores Pelagium, & Coelestium dixerit; air-
que: *Constat nihiloscis, totum id fecisse Zosimum
errore facti, non juris, heresarcharum artibus cir-
ventum.* II. De Vigilio (3) PP. in causa trium
Capitulorum erroris insimulatis differens, inquit:
*Obvia responsio est, errorem (Vigilii) facti dog-
matici illi non fuisse, non juris, seu dogmatici, atque
doctrinae. Et iterum ait: (4) Quapropter, qui in
priori de illis iudicio contigit error, facti, quod
ajunt, dogmatici sunt, non juris seu dogmatici, at-
que doctrinae.* III. De Honorio I. PP. (5) agens
refert nonnullorum eruditiorum responsonem dog-
matici censuisse Honorium vere Monothelitam,
& subdit: *In quem facti errorem Concilia etiam
œcumenica incidere possunt nemo nescit.* IV. In fine
(6) dissertationis I. ad exitum perducæ legitur
monitum lectori, ubi declarat Auctor prelauda-
tus, *Vigilium in eo dumtaxat errore (facti) fuisse
antequam trium Capitulorum sensum diligentius, &
matutius expendisset; nequaquam vero postquam
diligenter expendit. Hac data occasione vehementer
contestatus est, & profuturum alienum omnino
esse ab eorum sensu, qui blaterant Innocentium
X., & Alexandrum VII. errore facti laborasse in
factio dogmatico Janfenii.*

Cense sit. Sed allata repetita assertio, an per
monitum sufficienter elidatur lectori dijudicandum
dimitto. Nunc (7) eruditus Auctor sui oblicus
admississe non semel, sed iterum & iterum erro-
rem facti dogmatici, tum in Pontifice, cum in
Conciliis generalibus, & fucatum protestationem
offendens, disputandi gratia, ut ait, affirmati-
vam sententiam complectitur, propugnaturus posse
Papam in factio dogmatico aberrare. Primum agram
jacit ex auctoritate insignium Cardinalium a Tur-
recremate, Bellarmini, Laureæ, Pallavicini, &
Aguirri,

Aguirri, qui de industria, & data opera docuerunt, non modo Romanos Pontifices, sed & ipsa Concilia oecumenica in errorem facti dogmatici incidere posse, & incidisse vs ipsa. Hæc vir eruditus.

Non inficior, quosdam Theologos in facti dogmatici examine non nunquam hallucinationes passos esse, vel confundendo factum simplex cum facto mixto cum jure, vel incaute jus a facto dividendo, quum utrumque sit connexum, ut nequeat unum damnari, & alterum eodem iudicio probari. Quod fortasse contigit, quia nondum emerferat facti Janseniani discussio momentosa ad depellendam distinctionem juris & facti, qua male feriat homines eludere conabantur erroris proscriptiorem, nova adhibita responsione, obedientia juri, reverentia facto. Neque gravabor permittere, adfuisse etiam Scriptores minus caute loquutos post facti Janseniani dissidium, quos tamen Apostolica Sedes, quantum in se est, vel corrigi, vel aperte proscriptis, ut ceteri edocerentur ad veritatis studium comparandum, & eliquandam melioribus curis inveciam disputationem.

Sane Constitutio *Vineam Domini* edita a Clemente XI. (quam auctor cate dissimulat (rota in eum scopum collimat, ut rebelles lamini distinguentes factum a jure in facto dogmatico, illi prætexentes obedientiam, huic absqueosum silentium, sed veros in neutrum captivantes intellectum, aut utrumque illudentes, districte confodiat. Ex quo, quum quodlibet factum dogmaticum ejusdem sit generis, ut plane constat, futile est illud Jansenii excipere, dum quis errorem super alio facto dogmatico in Concilio, vel in Pontifice commisit. Nihil ergo fidendum esse existimæ auctoritati etiam insigni Theologi, quum Papa refragatur. Proloquium enim (1) Divi Thomæ est, magis standum esse auctoritati Pontificis, quam Hieronymi, sive Augustini. Puto adulationis vitium non esse Angelico Doctore improbandum. Sed quid ambigimus? Ipse Auctor effuso furo de disputandi gratia, non veretur etiam factum Jansenianum in questionem introducere, perinde a si hæc eliquata per plures Pontificias Constitutiones non fuerit.

Quid factum dogmaticum explicet, & includat, contendit Auctor suam præferendam esse descriptionem. (2) Sit itaque: *Gratia interiori nunquam resisti, error juris est; hunc errorem docuisse Jansenium, & tenuisse in suo edito libro, factum est. Adde, si placet, aliud exemplum. Propositio: Pater major me est, est verbum Christi, quod est juris, interpretatio Arij, & interpretatio Sanctorum Patrum sunt quid facti. Expendit utramque Concilium Nicenum. Peto an istud errare potuerit, quia in hujusmodi attributionis examina, ut ipse Auctor ait: (3) Prudenti in primis ponderatione potestatis, significationisque verborum omnium. . . Tum Critica artis, & Grammaticæ legibus, quæ fallere possunt, utendum est. Si Auctor annuit, en pessandata auctoritas Ecclesiæ in interpretatione Scripturarum Traditionisque excolendæ conamine. En victor Arius, en Fides labefactata, & undique in incertum vagans, si negat; en factum dogmaticum sub infallibili iudicio Ecclesiæ, non obstantibus Criticæ, & Grammaticæ legibus, quibus interpretatio Scripturarum, & Patrum librorum subest. Hoc indeficientiæ jure Pontifex, vel Concilium defi-*

nit, ac discernit libros Canonicos a non Canonice; Sacræ Scripturæ sensum verum a falso, doctrinam Patrum certam; obviumque sensum Auctorum ab incerto: nec non a libro Jansenii, quemadmodum a scriptis Arij juxta auctorum sensum excerpte errores, & hæreses, quibus scatebant. Quæ si in incipitur, aut dubia veritate relinquenter, vā, exclamare cogemur, & Ecclesiæ, & Fidei firmitati, quia absque regula certa impune unusquisque posset in oppositum abire sententiam, liberumque fieret hæreticis a condemnatione passa resistere ob interminabiles questiones, ac distinctiones, ut perfecte decebat Clemens XI. (4) Ecce non amplius Arij hæresis Ariana; non amplius Jansenii hæresis Janseniana, sed purum figmentum, & spectum vel pueris formidandum, ut plerique blatiunt.

Si ita est, arguit (5) Auctor, recte sexta Synodus censuit Honorium ut hæreticum, ex sensu perspecto in ejus epistola ad Sergium. Fateor; si ut hæreticum illum Synodus damnasset. Sed quia tantum eum proscriptis ob impropiam œconomiam, ob quam erumpentem hæresim statim non extinxit, ut advertit (6) Leo II. ideo nullum errorem admisit sexta Synodus in facto dogmatico super epistola Honorii.

Adhuc urget (7) Auctor: quid dicendum est de factis dogmaticis, nimirum Origenis, Marcelli Ancyran, Theodori Mopsuesteni, Theodori Cyrensis, Iba Edesseni, Honorii PP., Procli Patriarchæ Constantinopolitani, Maxentii Archimandritæ, Cœlestii Monachi, Joachimi Abbatis, Juliani Pomerii Antistitis Toletani, Joannis Pici Mirandulani, quorum scripta, vel primo damnata fuerunt, & postmodum dimissa absque censura; vel primo probata sunt, & deinde anathemati subiecta? Proculdubio hic inconstans agendi modus irreptum errorem facti in Pontificum Conciliorumque iudicis arguit.

Mirandum mihi est, argumentum toties elisum, semper vetulitate caducum, nunquam aliqua novitatis specie linitum iterum irruere ad factum faciendum. *Natalis* abunde regulam tradit respondendi ad hujusmodi objectiones, indeficientiam iudicis in Papa, & Conciliis super facto Dogmatico (8) agnoscent, & evincens. I. Aliquando contigit rejici unam propositionem ut æquivocam, in uno sensu hæresi consonam, in altero a pravitate distantem. Ut accidit in propositione: *Unus de Trinitate passus est carne*, quam explodit Hormisdas, & probavit Joannes II. spectata discrepantia sensus. II. Quandoque occurrit hæreticas dici propositiones, vel secus non dici, ante finale earundem iudicium. Ut in Origene damnatam scripsit (9) Leo Magnus animamur creationem, priusquam corporibus inseratur, ante plenam Origines condemnationem in quinta Synodo peractam. III. Contingit errores nonnunquam ex temporum circumstantiis dissimulatos fuisse dispensationis ergo, unde vulgum causæ, & dilationis ignorantem opinio incescit, de fuisse erroris turpitudinem. IV. Non semel occurrit Theologorum imprudentia, qui ex acri ingenii imperu apologias texere ausi sunt, contententes etiam damnatos errores, vel auctores vindicare ab iniustis censuris, & ab anathemate lato eripere. Ut palam est de iis, qui Originem defendere aggressi sunt.

His minime perspectis sæpe refricatur tum a piis, cum ab impiis Scriptoris idem argumentum

tum in perniciem ineffectiæ, qua pollet Ecclesia, ut placet (1) Forbesio Heterodoxo. Igitur breviter dico, Originem jure fuisse damnatum, & inique vindicatum.

Marcellus Ancyranus plura perpeffus est ob suspicionem hæresis tum Arij, quam Sabellii, nunquam tamen convictus hæreticus, aut peremptorie damnatus fuit.

Theodori Mopsuesteni causa in quinta Synodo plene finita fuit. Antea in disceptatione hæsit. Si quis deinceps pro eodem blateravit, sapere cum Nestorio est habitus.

Theodoretus Cyrensis ex œconomia prudenti in patientia toleratus fuit, quo ad caput scriptorum, ut Nestorio diceret Anathema. Sed postea in quinta Synodo scripta exagitata, damnata decretorie fuerunt.

Quoad Ibam Edessenum, quando ventilata fuit ejus Epistola serio examine, proscripta fuit inter tria Capitula. Quæ præcesserunt nihil ad rem nostram conferunt.

De Honorio Romano Pontifice jam supra fati est dictum.

Nota in Proclum Constantinopolitanum, ac si faveret contorto sensui propositionis Scytharum Monachorum ad Hormisdam delatæ, fuit suspitionis, non definitivi decreti. A Concilio Chalcedonensi depulsa est. Quid ad nos?

Vindicia pro Joachimo Abbate imprudenter ab arbitrio hominum inveciam non evacuant latam censuram Lateranensis Concilii adhuc vigeantem.

Julianus Pomerius, non Archipræful Toletanus, ut vocat Auctor, sed Ecclesiæ Monasterii S. Michaelis Abbas, ut constat ex subscriptione Concilii XI. Toletani apud Aguirre, in suspitionem venit ob propositionem æquivocam, quæ videbatur propendere in hæresim, postea ab Eliando eructatum. Expositularum apud Pontificem, egregie, & catholice eam explicavit, & suspitionem inveciam sublata fuit. In eandem suspitionem apud Patres Concilii Francofordiensis adducti fuerunt S. Ildesphus, & S. Julianus Præful Toletanus per fraudem ejusdem Eliandi quarentis suæ seclæ præfidium ab hujusmodi jamdiu defunctis viris sanctitate & doctrina conspicuis. Sed statim revolutis istorum libris fraus detecta est, & auctores infones probati sunt.

Opera Pici Mirandulani indiscreti homines conati sunt a censuris abtergere, & proscriptiorem eludere. Laterem lavarunt, & proscriptio est in viridi obvertentia.

Quid proposito argumento; quid conglobatis exemplis nude recitatis, absque ratiocinii pondere, ex quo illucescat Auctoris intentum, quid difficultatis ad rem nostram objiciat, nullus conjicio. Abunde erat unum proferre, quo ostenderetur aut Pontificem, aut Concilium priorem retractasse finalem sententiam super facto dogmatico per errorem latam. Hoc est momentum questionis. Nequidquam deprehendit, ergo causa cadit.

§. XXXIII.

Iterum de Facto dogmatico.

Arguit eruditus (2) Auctor, quod data adhuc possibilitate erroris in Pontifice, & Concilio deficiente super facto dogmatico, non proinde sequitur, erravisse Innocentium X. & Alexandrum VII. in iudicio lato super facto Janseniano, quia fati non est ostendere potuisse eos

Serry Tom. V.

errare, nisi & illos re ipsa falsos esse probatur. Sed longe opinione fallitur, & fortasse fallitur, quia neque Clementinam Constitutionem *Vineam Domini* commemorare voluit. Si in facto dogmatico Pontifex errare potest, nullus ex debito Fidei adstringetur captivare intellectum in obsequium, quia fallibili iudicio, esto aliquando veritatem aperiat, nullam debetur Fidei obsequium, nisi per accidens, ratione iudicii obligantis. Quapropter Theologo decidenti questionem de Fide non credimus ex Fide divina, neque ut regulam Fidei vivam agnoscamus, sed ut non falsum probamus. De interpretatione Scripturarum, & de traditione Patrum eadem difficultas urget. Factum dogmaticum & istud est. At fatine est accipere iudicium Pontificis, vel Concilii; quia non falsi iudices sunt? Si ita est, evolare necesse est unum caput Fidei nostræ, nempe infallibilitatem sensus Sacræ Scripturæ, & doctrinam Patrum, ex infallibilitate iudicis, juxta illud Augustini: *Non crederem Evangelio, nisi me doceret Ecclesia.*

Audio Auctorem (3) dicentem: Ecclesia infallibilis est, quia Scripturæ, & Traditionis habet plenissimam intelligentiam. At in attribuendo sensum libri auctori suo, v. g. Jansenio, non item. Hæc, bona venia, est petitio principii. En urgens argumentum. In attributione erroris obvio sensui Jansenii intercedit fallibilitas iudicis, inquit eruditus auctor, quia hoc est de facto dogmatico. Igitur etiam in attributione sensus Scripturæ Sacræ Spiritui Sancto, vel sensu doctrinæ Patrum, Augustino, Hieronymo, & aliis, erit Ecclesia fallibilis iudicii, quia pariter & hæc facta dogmatica, Unde ergo habebitur Criterium pro certa interpretatione Sacræ Scripturæ, & Traditionis, si de medio tollitur infallibile iudicium Ecclesiæ in facto dogmatico?

Ad hæc; sub aspectum subijciam verba Clementis XI. in laudata (4) Constitutione *Vineam Domini*, dicentis, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Ipronsi. . . excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & desinimus. Si Pontificia definitio adhuc non captivavit intellectum in obsequium Fidei, sed dumtaxat non falsos fuisse Pontifices in facto Janseniano ostendit, eccidatum hominibus nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facere, ut prosequitur Clemens; (5) qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis questionibus. . . implicare conantur. Et demum mandat, ut eliminatis assertionibus, ac distinctionibus pravitate, & errorem palliantibus, ore, & corde quilibet fidelis teneatur propositiones una cum sensu, & in sensu Auctoris in illis expresso damnare, ut hæreticas, & ut hæreticum sensum illarum rejicere debeat. Futilis itaque est altera erumpens distinctio nempe ad supplendum fallibilis iudicii defectum, sufficere, non posse iudicem falsum probari. Nonne hic modus loquendi retorquet certitudinem definitionis in experimentalem inquisitionem, & collationem iudicii cum re definita? Nonne illuditur dogmaticæ Constitutioni, etiam si placet Gallis, ab universa Ecclesia acceptata?

Præterea do exemplum. Ecclesia Latina docet, & tenet, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Id ostendit ex Patrum traditione in Concilio Florentino. Ecclesia Græca (ut sibi blanditur) ex eadem traditione Filium ab ætiva spiratione arceat. In citato Concilio utraque pars do-

A a dtri-

(1) 2. 2. quest. 1. art. 11. (2) In iter. def. pag. 139. (3) Pag. 59. & in iter. def. pag. 140. (4) In cit. Const. *Vineam Dom.* (5) Pag. 51. & in iter. def. pag. 140. (6) Epist. 1. ad Episc. Hsp. (7) Pag. 56. & in iter. def. pag. 136. (8) Hist. Eccl. ad fac. V. Dissert. 14. ad ob. 2. & ad fac. 6. Lib. 5. ad ob. in 3. p. (9) Epist. XI. ad Julian. Epist. Cœn.

(1) Libr. 3. Instrukt. historico Theol. c. 21. (2) Pag. 57. §. 2. 3. primi opus. Anoa. (3) Pag. 59. ante med. (4) §. 9. (5) §. 21.

stram Patrum expendit. Peto, an discussionis diversitatem licuit referre ad non repertam fallitatem in dictis Patrum, an ad infallibile iudicium Ecclesiae in facto dogmatico, nempe in excussa doctrina, & sensu Patrum? Si primum, ut contendit Auctor, in definitio Processionis Spiritus Sancti a Patre & Filio certa quidem certitudine humana, neutiquam Fidei. Si secundum: ergo censenda est Ecclesia infallibilis iudicii super facto dogmatico. Et quidem ne dum in facto dogmatico traditionis ex doctrina Patrum, & sensus, sed etiam in quolibet alio aequae ac in facto Janfeniano, quod gratis excipiebat Auctor, sed deinde & illud comprehendit. Utrobique enim agitur de iudicio attributivo doctrinae vel Patribus, si est pro Fide, vel haereticis, si sit contra Fidem. Erit, audio, & est infallibilis in iure, sed non in facto eidem connexo. Respondeo, hanc quoque distinctionem damnare Clementem XI. in laudata Constitutione, & reffe. Traditio doctrinae Patrum quid significat? Nisi Patres in suis libris hanc, vel illam doctrinam in sensu proprio explicatam, expressam, traditam reliquisse, sensumque auctorum in ea impressum agnoscere? Si factum a iure distinguitur, & dividitur; en doctrina sine Auctore, en traditio sine teste, en jus sine auctoritate. Et haec est illa Traditio, quae est unum ex principiis firmitatis nostrae Fidei? Et haec est traditio Patrum? Et haec est unum ex precipuis fundamentis, a quo derivat, & oritur Fidei definitio? Doctrina infallibilis, sensus vero & Auctoris & libri sub principio fallibili? Quid aliud ad evertendam traditionem aptius excogitare possunt haereticis?

Ut aliquando huius generis orationem concludam, liberius dicam, neminem absque gravi censura posse abjudicare a Pontifice, vel Concilio legitime congregato infallibilitatem iudicii lati super facto dogmatico: distinctiunculas pravitate foventes esse illas, quas adhibent indisciplinati homines ad declinandas definitiones Fidei, & esse prorsus tergiversationes frivolas ad favendum haereticis, & haereticis excogitatas, adeoque iure fuisse, & esse damnatas, elisas, penitusque exinanitas per Constitutionem *Vineam Domini*: nec non auctoritati Pontificiae illudere, qui eas refodere audeat si ve factum Janfenianum reficere molitur, si ve ut quodlibet aliud factum dogmaticum tentet a iure fecerere, & a definitivo iudicio callide eripere conetur; & demum huiusmodi conatus summam Fidei Ecclesiaeque praesidium, nempe interpretationem Scripturarum, ac Patrum traditionem ab eadem Ecclesia eliminare, atque evertere, semel dato, quod admittatur fallibilitas super facto dogmatico. Ubi autem incaute nonnulli Scriptores in contrariam opinionem deflexerint, incompetente veritate, vel minus exacte perpena ante Constitutionem *Vineam Domini*, defectum humanum passi sunt.

§. XXXIV.

In idem argumentum.

Postremo in sui patrocinium quærit eruditus (1) Auctor quotquot in agendis quaestionibus de infallibilitate Romani Pontificis, ejusdemque supra Concilia œcumenica auctoritate operam impenderunt, quia uno calculo definierunt, has quaestiones ad Fidem non pertinere. Ad huius rei argumentum affert testimonium Ven: Innocentii XI., qui anno 1679. dato Brevi epistolari ad Episcopum Benignum Bossuet, plurimum

probavit, ac laudibus exornavit adornatum Opusculum adversus Calvinianam proccacitatem, esto expresse idem clarissimus Bossuet declaraverit in dictas quaestiones noluisse calumniam implicare: *Quam ad Fidem Catholicam non pertineant*. In eodem sensu differentes quosdam proceres Curiae Romanae solerter advocat, & producit.

Sed inutiles incubat labori: quia ultro datur, hucusque de huiusmodi quaestionibus iudicium definitivum desiderari. Attamen Apostolica Sedes omnino culpandos esse censet, qui ea privilegia Romano Pontifici detrahunt, & tum censurarum spiculis eos aggreditur, cum proscriptione librorum coeret, atque castigat. Neque laude honestaret Innocentius Benignum Bossuetum, si minus digne, ac minus integre de Romano Pontificis privilegiis fuisset loquutus. Cæterum de censuris inutis alibi constat.

Nunc ad minus subjiciam cauterium injectum ab eximio Theologo Amat de Graveillon Doctore Sorbonico contra illos, qui apologias texere, vel dicere audent adversus iudicium latum super facto dogmatico. Inquit enim: (2) *Eos appellarem temerarios, superbos, & inobedientes. Temerarios, quia iudicio lato refragantur. Superbos dicere, quia in huiusmodi factorum doctrinalium cognitione sese perspicaciores universa Ecclesia iudicarent. Demum cum inobedientes damnarem, quippe qui iudicio Ecclesiae, quae in censura, & damnatione librorum Spiritus Sancti lumine ad eorum pravum sensum, erroremque cognoscendos illustratur, ac regitur, perverticaciter morem genere detraherent. Quocirca iure optime castigari deberet audacia quorundam . . . Sane si a iudicio factorum doctrinalium ab Ecclesia lato semel impune resistere liceat, poterit quilibet pro omnibus haereticis ab Ecclesia confictis apologias concinnare. Periclitabitur infallibilis Traditionis auctoritas, quae pendet e sensu librorum SS. Petrum ab Ecclesia Catholica praefixo. Non poterit Ecclesia comprimere tumultus, & contentiones, quae sepius suboriuntur occasione sensus librorum, nec sanam doctrinam a falsa & noxia, quae in libris continetur, certo valebit discernere. Ecclesia itaque iudicio in factis doctrinalibus, tanquam sacra anchora indurisse adhaerere debemus. Et de hoc fati.*

Dixi, & pro veritate dixi: non adulationis astu; non dissimulatione veri; non mendacii technis, ut verum cum falso confundere, aut difficultates effugerem. Ita plane censuimus, dicendum esse, ne quum astruimus infallibilitatem iudicii de rebus Fidei & morum, nec non de Facto Dogmatico, in Romano Pontifice universam Ecclesiam pro suo munere, & officio docente: nec non ejusdem Pontificis superiorem auctoritatem Concilio adhuc œcumenico, confectum omnia labefactare, ac destruere videamur, decidendo hanc eandem auctoritatem, eundemque Summum Pontificem coactum esse pendere a consilio peritorum & necessario simpliciter indigere eorum consultatione, antequam ad definitionis actum procedat. Sed quod mirum videri cuilibet est, cuncta ab adversario confici opinantium arbitrio, itaut uni placeat unum coetum Consulendum designare, alteri diversum; uni peritos quoslibet liceat constituere; alteri sibi delectos constituere; uni semel electos stabilire, alteri eosdem destituere, & alios substituere ac declarare; perinde ac si Petri Cathedra hominum placito sit dimissa, ut ejus regimen formetur, aut deformetur, si ad suam excogitatum regulam non conveniat, vel in apice dissentiat. Neque deest, qui ad instar Nabuchodonosoris velit consilium adunandum, de quo scriptum est: (3) *Vocavitque omnes Majores natu,*

omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilii, dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram subjugaret imperio. Et utique omnem terram subjugarent, si suo humilissimo opinantes Cathedram Petri subicerent imperio.

Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? (Iubens (1) cum Judith exclamabo) quum Cathedram Petri huiusmodi opinionibus nunc instructam, nunc destructam conspicimus? Non est iste sermo, qui misericordiam provocat, sed potius qui iram excitet, & furorē accendat. Indignatur generosa Judith quia Ozias cum senioribus & populo oblitus Dei promissorum, atque beneficiorum spondit tradere civitatem Assyriis. Et dixit illis, quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit nobis adiutorium?

Mire ad rem nostram. Infruit Christus Petrum Summum Pontificem, Pastorem, ac Doctorem summum, quin seateat conditio, aut medium designatum tanquam simpliciter necessarium, ut pacat, & doceat actū. Missurum Spiritum Sanctum, ut doceret nos omnia, promisit Christus, & solvit. Petrus, ut Organum Spiritus Sancti doceret res Fidei (2) & morum, indistinctumque a Deo est populus, & gregi, ut audiat illum, & credat. Quid ultra tentatis Dominum? Quid ultra excogitatis, ut hanc Cathedram Petri tradatis haereticis contemendam, ac deridendam?

Utro pergamus. Petrus alioquin sibi par ad decidendum super usu legalium, ut constat ex ejus data sententia, cui omnes omnino confenserunt, attamen cogit Concilium (3) Hierosolymis de verbo hoc loquiturus. Idem exemplum dedimus in Leone Magno. Quorum hanc? Nisi ut discamus, adesse Ecclesiae Christum, & in suis promissis fideliter persistere, mittendo Spiritum Sanctum, ut doceat & veritatem & modum definiendi. Quo fit, ut, citra necessitatem simpliciter talem, & dirigat Petrum, ut cogat Concilium ad ferendam de re conquistam sententiam, & assistat Sancto Leoni, ut adversus Eutychen iudicium ferat per dogmaticam Epistolam.

Quid ultra tentatis Dominum? Per mille, & septingentos annos hac methodo directa est Ecclesia in veritate incorrupta, immobilis in Fide; adhuc quando ex improba temporum conditione fuerat locus timori. Ubi autem in posterum ad omnes casus minime futuros, neque possibiles contremiscere est opus; perinde ac foret periculum in januis, ne scilicet Pontifex temere, ac errando pronunciet? Nequaquam est id possibile, quia Deus fidelis est. Docuit, & docet usque in finem omnia, etiam si opus est impellendo Pontificem ad ea media comparanda, prout res Fidei postulat. Dono consilii ornatus discernet, si opus sit, consulentes adhibere, nec ne, more Petri, more Magni Leonis, ne arrogantia, praesumptio, vel error unquam admisceatur, & in Spiritum Sanctum resiliat.

Aget certissime Pontifex quod in se est, ex directione Spiritus Sancti, citra necessitatem ab opinantibus injectam; quum agendum illi erit ad doctrinam toti Ecclesiae tradendam. Sed sibi minime blandiatur hoc simile promissum esse in cæteris, quæ ad definitionem ex Cathedra non collimant. Falleret haec opinio. Ut doceat Pontifex omnia necessaria ad Fidem, additurus est Spiritus Sanctus, & quidem quum doctus est tanquam Petrus Ecclesiam. In cæteris dimissus est Pontifex consilio suo, ut humana prudentia usus, consultationes requirat, consiliarios advocet. Et si quidquam dispensatoria œconomia agendum est, quod citra definitionem proponitur indulgendum, caveat Honorium imitari; caveat imprudenter rescribere, atque inconsulte, ne pœnam Honorii subire cogatur. Audiat amplissimos Cardinales a divina providentia dirigere delectos additentes, & consiliarios; audiat doctos, & si fas est doctissimos, ubi, & quando oportet, quia sic fecit Petrus, sic fecit Leo, cogendo Concilium; sic fecit Gregorius, cæterique doctores Pontifices. Novitque quo magis solutus est a necessitate, eo magis discere oportere, ut integerimus sit Doctor, & Judex. Sed sit absolutus a vinculo necessitatis absolutæ urendi alieno consilio; non autem a convenientia consilii: de quo dixi, iterumque dico; si fit de medio condecente ad iudicium finale Fidei & morum, Deus dabit, modo pluries explicatō; si fit de cæteris negotiis, ab humanis viribus petat subsidium, mediis opportunis consultationibus.

His coactis exemplis non difficeret Auctor, (4) posse aliquando contingere desuturum medium exquirenda consultationis. Sed tunc ait ad extraordinariam providentiam spectare, ut iudicii infallibilitatem, extra ordinem, ac praeter solitum largiatur. Equis hoc in animum inducet doctissimum Leonem Magnum proprio labore ac studio condendentem sententiam dogmaticam adversus Eutychen, nactum esse infallibilitatem, extra ordinem, praeter solitum; verbo; miraculose; per extraordinariam providentiam? Quinam testis producit? Ubi id legere est? Quænam alicujus ex Patribus, vel scriptoribus a seculo quinto usque ad hanc horam, sententia? Quæ animadversio, quæ cogitatio? Et nunc lubet ad extraordinariam providentiam, ad miraculum deducere promissam per Petrum, & in Petro specialem assistentiam Spiritus Sancti, quum docturus est universam Ecclesiam; ut absoluta necessitas petendi consilium nullo salta argumento firmetur? Omnia tandem capita praesentis dissertationis verbis Augustini concludamus: (5) *Nulli dubium est, gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis, atque rationis. Mibi autem certum est, nunquam prorsus a Christi auctoritate discedere; non reperio valentiorum. Christus dixit soli Petro: Pasce oves meas: Pasce agnos meos. Et satis est. Idcirco monitum ejusdem Augustini pro Coronide subjiciam: (6) *Turbata est vestra inventio, jam tandem intentio corrigatur.**

F I N I S.

Serry Tom. V.

A a z

(1) Cap. 9. (2) Act. 15. (3) Act. 15. (4) Pag. 51. init. & in iter. def. pag. 108. (5) Contr. Acad. l. 3. c. 20. (6) Contra Julian. lib. 2. oper. imperf. n. 205. in fin.

(1) Pag. 61. in med. & in iter. def. art. ult. p. 144. (2) Tom. 1. isl. eccl. colloq. 2. in fin. (3) Judith. c. 2.